

Vd
2076



h. 57. 32.

V O T I V A

Vd
2076

Animorū expositio,

quā Serenissimæ Reipublicæ Regni
Poloniæ & Magni D.L. de Liberata
Patriæ Libertate, in publico utri-
usq; Ordinis confessu die 14. Octo-
bris Anni 1733. congratulati sunt Se-
renissimi Principis ac Domini, Do-
mini **AUGUSTI III. DEI** Gratiâ
Neo-Electi Regis Poloniæ & Ma-
gni Ducatûs Lithvaniæ Electoris Sa-
xonix, ad eandem Serenissimam
Rempublicam delegati Ministri Ple-
nipotentiarij **JOSEPHUS** Comes
de Wackerbart **SALMOUR** & liber
Baro **WULFF HINRICH** de Bau-
dissin,



Celsissimi, Excellentissimi, Reverendissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres Magnifici, Generosi, & Nobiles Domini Serenissimæ Reipublicæ Polonæ, & M. D. Lit. inclyti Ordines.

Libertati Patriæq; Vestræ de liberatâ Libertate gratulamur, Deoq; rerum omnium moderatori gratias agimus, quod ita Consilia Vestra (amplissimi Regni hujus Ordines) direxerit & juverit, ut non oppressâ sed liberâ voce, ejusmodi Principem pro Rege Vestro elegeritis, qui antea jam vobis acquisitus & totus Vester erat, & quem omnes Boni publicô virtutum omnium laudant concentu.

Hic certe in tuendâ Reipublicæ libertate, in fovenda amicitia cum vicinis, Vobisque omnibus ac singulis (Amplissimi Ordines) amandis ornandis & augendis, omnem curam operam ac industriam impendet.

Nostis (Illustrissimi ac Excellentissimi Ordines:) Serenissimi FRIDERICI AUGUSTI REGIS Vestri Neo-electi Domini Nostri Clementissimi, Pietatis & Religions zelum, animi candorem &

ali

firmitudinem, morum integritatem, fortitudinis constantiam, gratiæ, humanitatis, justitiæ, æquitatis, ac libertatis gloriam.

Hic omnino ex avita stirpe Jagellonica oriundus se verum Piasium, Indigenam & Polonum esse, non unò, sed repetitis amoris erga Patriam testabitur argumentis.

Quod superest, petimus scilicet ut Pacta Conventa quantocius Ordinatis & Serenissimo Regi Vestro mittatis.

Et cum (Amplissimi Ordines) Regnum Vestrũ, cujus salutem unice respicitis, nonnullis temporũ turbetur injurijs, humanissimè rogamus, ut media & consilia opportuna, quæ & qualia pro securitate & conservatione tranquillitatis internæ, nec non pro Dignitate Regis Vestri parari optatis, Principi Vestro indicetis, qui non tam de splendido Diadematis Regij titulo, quàm de solo & optatissimo Patris Patriæ gaudebit & gloriabitur nomine.

Faxit summus bonorum omnium Fons & Author DEUS ut Sacrosanctæ Religionis Romano-Catholicæ propagatio, pacis publicæ conservatio, inclyti hujus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ annexarumq; Provinciarum felicitas & gloria, totiusque Reipublicæ Christianæ salus ex hac Electione proveniant.

Pet.

Permittite interea (Amplissimi & Excellentissimi Ordines) ut animorum Vestrorum magnitudinem, & pro tuenda libertate Constantiam Serenissimo Regi Vestro & Nostro, cum præconio debito viritim nominemus ac patefaciamus.

Nihil Nobis dulcius evenire officiisque Nostri dignius contingere poterit, quàm Vestras (generosi Libertatis Defensores legum custodes, & vindices acerrimi, Patriæq; Vestræ Cives optimi) vestras inquam deprædicare laudes, & nostra vobis semper studioso affectu comprobare obsequia.

Cæterùm felici faustoq; omine Serenissimæ huic Reipublicæ animitus bene cupientes, & gratulantes, Vestras ex ore Vestro acclamations repetimus, vota que nostra cum Vestris candidè conjungimus.

**Vivat AUGUSTUS III, Dei Gratiâ
R E X Poloniae & Magnus Dux Lithvaniae!**

Vivat Serenissima Respublica ejusq; libertas vivat, & in æternum vigeat.

M O W A

*Xiążęciá Iego Mci Biskupa Krákowskie-
go przy prezencyi Ich Mécion PP. Mi-
nistrow pełnomocnych Krolá Iego Mci
ELEKTA AUGUSTA Trzęćiego w Senacie
die 14. Oótrobris An. 1733. miana.*

Conjurata in Serenissimæ hujus Reipu-
blicæ fata pertinacia, eó sua veloci-
ori cursu præcipitavit Consilia, unde
nullam dabatur miseris sperare salu-
tem, & nisi Providentia Brachio Excellsi hanc Sere-
nissimam Rempubicam jam jam naufragantem eru-
isset, Actum esset de Nobis, Actum de Libertate,
actum de Legibus: hoc Numine invocato matu-
riori Consilio de Eligendo Nobis Rege delibera-
vimus, tandem à Tormentorum ióctibus violentos
Actus majori violentiá sustinentium, securiori lo-
co inter Kamionam & Grochoviam designato,
Electoraalem Campum si non invenimus, confono
voto fecimus, ibiq; auxiliante DEO Serenissimum
Principem ac Dominum, Dominum FRIDERI-
CUM AUGUSTUM Principem Regium Poloniae,
&

& Electorem Saxoniae in Regem Poloniae & Magnū
Ducem Lithvaniae Provinciarumq; Annexarum,
Dominum Liberis Votis & suffragijs Nemine,
contradicente Omnibus applaudentibus elegimus
& nominavimus, quod felix faustumq; sit.
Traxit Nos ad Universale Votum in hoc Principe
verus Religionis Orthodoxae Catholicae Romanae
Amor; non obscura in Principe Majestas, Clarae
Animi Dotes, & viva Gloriosi Patris memoria
qui nihil credebat magis esse Regium, quam
omnibus esse bonus. Est Pars non postrema ve-
stri Laboris quem Vobis deferimus Illustrissimi &
Excellentissimi DD. Statūs Ministri. Commune
Vobiscum capimus solatium, communi Honore
gloriatūri. Circa Tutitionem Majestatis arctio-
ri Nos obstrinximus vinculo, ut non solum circa
Serenissimum Electum Bona & Fortunas Nostras
impendere, sed & vitam ipsam litare sit Nobis
firmum propositum. Constituimus Dignissimum
Nauclerum & huic oneri parem Illustrissimum
Regni Instigatorem, qui in Gentilitia sua Navi
Fortunam Regis, Patriaeq; vehit, & firmam spem
ponimus, quod afflantibus Superis superatis Procel-
lis eandem ad Insulas perducet fortunatas.

Aliorum Regnorum ea est fors & conditio
ut

ut Mandatum Dominantis pro Præcepto & Legge,
voluntatem vel beneplacitum pro ratione recipiant,
Nostræ Libertatis ea est felicitas, ut non pareamus
Legi, nisi quam condimus, nec subsumus, nisi cui
volumus, sic sumus subjecti, ut non cessemus esse
liberi. Proinde laudabilis invaluit consuetudo, ut
circa Electionem Regulæ quædam proponantur &
Regibus regnaturis, & subditis parituris, quas
Pacta Conventa Leges Nostræ vocant, ad quæ
conscribenda, cum requiratur speciale Mandatum,
à Serenissimo Neo Electo, hoc Nobis demonst-
randum & producendum ab Illustrissimis Excellen-
tissimis Vestris exposcimus.

S E R M O

*Illrmi Domini Antonij Lodzia Po-
niński Instigatoris Regni, Mareſcalci
Reip: Confederatæ circa Tutitionem Ma-
jestatis Serenissimi AUGUSTI III. Regis
Poloniæ & Electoris Saxonie
Illustrissimi Excellentissimi Domini Amici Noſtri
plurimum Observandi.*

BENE feliciter veniatis Hospites gratissimi, ad
Quorum occursum licet expedita festinet Pro-
pen-

penſio, hæſitat tamen non tam verborum inopiã
aut ſterilitate affectuum, quàm verecundiã quãdam
laborans Eloquentia. Pari ſiquidem dolore &
rubore afficimur, quando venerandus Cunctis Gen-
tibus Legatorum Character in Humaniffima aliã
Natione, id tandem perpeſſus eſt, quòd vel ipſa
Barbarorum erubeſceret Sævities. Violata ſunt cru-
deliter Iura Gentium, læſa Optimi Principis Bene-
volentia, offeñſa Perſonarum Veſtrarum Dignitas,
quæ omnia non ad invidiam facti, ſed ad Satisfa-
ctionis Speciem ingenuè profiteſcitur. Attamen
Illuſtriſſimi Excellentiffimi Domini, nunquam
pulchrius redimuntur Injurie, quàm Coronã; ab-
ſtergimus Pudorem Gentis, Regali Purpurã, quam
dum Sereniſſimo AUGUSTO III. contulimus, &
Noſtrorum affectuum præclarum fecimus indici-
um, & Fraternos Concivium errores Splendidiffime
excuſavimus. Interponimus tam Inſolenti non
nullorum auſui Clementiam Principis, & Publicæ
Offeñſæ moderationem veſtram obtendimus; certe
ſi non peccaſſent, Rex quid concedere poſſet, mate-
riam veniæ publica cauſa dedit. In tam difficil-
limo rerum præſentium Situ plus in vos injuria tem-
porum, quàm indole liberæ & Civiliffimæ Gentis
peccatum eſt. Quare Heroicos Animos, quos ad
B patien-

QR 7d 2076

patientiam egregie obfirmastis, ad Communem ho-
die Nobiscum lætitiã sereniùs exporrigitè, &
quemadmodùm Spina levis manui est, dum legit
illa rosas, ita & infractã Constantiã Spinarum tem-
nite vulnus, dum jam ex Liberis Suffragijs Nostro
& vestro Principi Collegistis Coronam. Ut verò
tantæ expectacionis Operi Supremam addatis ma-
num, & felicem Studijs & labori vestro imponatis
Coronidem, Illustrissimas Excellentias Vestras ad
Pactorum Conventorum sponsalia unà cum De-
putatis ex Amplissimo Senatu & Equestri Ordine
designatis, ore Publico invito.



m. c.




o-
&
git
n-
ro
rò
a-
tis
ad
de-
ne

1018

ULB Halle 3
007 669 16X





h. 57.32.

VOTIVA

Vd
2076

Animorū expositio,

quā Serenissimæ Republicæ Regni
Poloniæ & Magni D.L. de Liberata
Patriæ Libertate, in publico utri-
usq; Ordinis confessu die 14. Octo-
bris Anni 1733. congratulati sunt Se-
renissimi Principis ac Domini, Do-
mini **AUGUSTI III. DEI** Gratiâ
Neo-Electi Regis Poloniæ & Ma-
gni Ducatus Lithvaniæ Electoris Sa-
xonix, ad eandem Serenissimam
Rempublicam delegati Ministri Ple-
nipotentiarij **JOSEPHUS** Comes
de Wackerbart **SALMOUR** & liber
Baro **WULFF HINRICH** de Bau-
dissin,

BIBLIOTHECA
POMERAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)